



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus III. De obligatione legis irritantis, & in præsumptione fundatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

tiam, superest quaestio de poenis latae sententiae. Unde fit

3. CONCLUSIO PRIMA. *Leges poenales, quae inferunt poenas spirituales excommunicationis, suspensionis, &c. ipso facto incurrendas, vel privant jure acquirendo, redduntq. transgressorem inhabilem ad aliquod jus vel actum, vel imponunt poenam conditionalem, obligant ante judicis sententiam.* Ita Salmantic. hic c. 2. punct. 3. cum communi DD. & quoad poenas spirituales constat ex c. non dubium de sent. excomm. c. 2. de Cler. non ordinato ministr. Sic etiam incurritur Canonice impedimentum matrimonii ex crimine; sic beneficiariis non recitantibus officium divinum imponitur restitutio fructuum pro rata in Conc. Lateran. I. can. 10. & non residentibus in suis Ecclesiis in Trid. sess. 23. de reform. c. 1. Sic per c. licet de elect. in 6. habens beneficium curatum illo privatur, si intra annum non ordinetur Presbyter &c.

Quoad censuras Ecclesiasticas ratio est, quod cum lex dicat, delinquentem ipso facto incurere ejusmodi poenas, illaeque ut plurimum sint medicinales, & non excedant suavitatem & aequitatem humanam, ideo censendum est, quod legislator velit uti sua potestate ad illas infligendas, non expectatae judicis sententiae. Quoad poenas inhabilitantes & conditionales ratio est: quia cum Ecclesia & Republica sit domina suorum bonorum, iuste potest habilitatem ad illa percipienda alligare certis conditionibus, quibus non impletis hoc ipso cessabit habitas ad illa percipienda, sicuti si testator Beræ fecisset legatum percipiendum sub conditione, si castè vivat, hoc ipso quod non verificaretur conditio, etiam ipsa privaretur legato. Ita rursus in poenam certi delicti potest eidem alligare inhabilitatem ad aliqua jura, bona, vel fructus à legis transgressoriibus incurrendam. Unde posita transgressione, delicto, crimine, eo ipso cessabit habitas.

§. II.

Quid de lege privativa juris acquisiti?

4. CONCLUSIO SECUNDA. *Pœna temporaria, vel quod acquiritur captum est, non obligant ante judicis sententiam saltem declaratoriam criminis, quamvis verba legis significant poenam latae sententiae.* Ita Layman l. 1. tr. 4. c. 17. cum pluribus aliis. Quorum ratio est, quod lex non debet esse nimis rigida, sed humano modo observabilis: sed est ab hominum natura & moribus alienum, ut quis seipsum spoliare debeat rebus jam possessis, aut juribus acquisitis. Et Confirmatur ex c. cum secundum leges, de hereticis in 6. ubi licet heretici priventur ipso jure bonis à se possessis à die commissi criminis, tamen non tenentur bona tra-

dere ante judicis sententiam. Quod ad illas quoque leges poenales [praeter sup. n. 3. expensas] quascunque probabiliter extendunt Salmanticenses unà cum Sanch. & Covarr. à se citatis, quia in rigoribus & obligationibus benignior est interpretatio faciendi: cum ergo lex dicens: ipso facto, nullà alià declaratione expressa, commode possit exponi de declaratione novae poenae à iudice impositae, non negatà declaratione criminis, huic interpretationi inharendum erit.

CONCLUSIO TERTIA. *Quamvis venio n. 1. neatur (1) ante judicis sententiam subire poenam graviter corporis afflictivam, ut est exilium, carcer, &c. post judicis tamen sententiam (2) reus reus per seipsum exequi poenam beneficium non vincit. cerbam: (3) ad gravissimam vero & infamam poenam tenetur saltem indirectè cooperari, quatenus ad ejus executionem est necessarium & conveniens.* Ita comm.

Ratio primi modò indicata est, quia talis executio propria sponte suscepta nimis acerba, & ad humanis moribus est aliena. Ratio secundò est, quod quisque tenetur obedire Superiori iusta & possibilia praecipienti: unde tenetur reus solvere multam pecuniariam, intrare carcerem, abire in exilium &c. Ratio tertii est, quia reus tenetur iustae judicis sententiae non resistere: sed si quando nolle indirectè cooperari ad poenam iudice inflictam, tunc ipsi resistere, e. g. si sit damnatus ad fucationem nolle manum ponere, &c. ergo tenetur indirectè cooperari.

Quaes etiam, num possit iudex reo poenam remittere in lege taxatam? Respondeo, si est summus, potest; nam potest vel propriam legem rogare, vel in illa dispensare: quamvis id sine legitima causa faciendo peccet vel venialiter, quando nullum inde grave damnum in Republicam redundat; vel mortaliter, si redundat. Quorum in superiori iudice sufficere causam benignitatis, intercessionem alicujus Magnatis, gratificationem praeteritorum obsequiorum, docet cum aliis Suar. l. 5. c. 12. n. 9. & Palao tr. 1. dist. 2. p. 3. Si verò non est supremus iudex, non potest illam poenam remittere, vel majorem imponere. Unde etiam tenebitur ad restitutionem excessus, si punierit ultra poenam ex lege debitam. Non verò teneri ad restitutionem, si poenam pecuniariam minuat, vel omnino remittat, rectè docet Greg. Martin. q. 96. a. 4. dub. 14. quia tunc ante sententiam iudicis nullus ad talia bona acquisiverit, non est peccatum violativum iustitiae commutativae, sed legalis: quamvis ex alio capite possit oriri obligatio restitutionis reipublicam, si nimirum ex remissione poenae reipublica damnum patiat, quod iudex ex officio per poenam inflectionem avertere debuisset.

ARTICULUS III.

De obligatione legis irritantis, & in praesumptione fundatae.

SUMMARI.

1. Datur lex irritatoria.
2. Duplex modus irritandi actum.

3. Aliquando actus irritatur civiliter, aliquando etiam naturaliter.
4. Ita

4. Lex reddens actum illicitum, non hoc ipso facit invalidum.
5. Lex irritatoria alia pœnalis, alia purè irritatoria.
6. Lex irritatoria non semper obligat ad omissionem actus invalidati.
7. Lex irritatoria obligat, ne ex tali actu querantur fructus & effectus.
8. Irritatio pœnalis saepe sortitur effectum primum post iudicis sententiam.
9. Lex purè irritatoria habet effectum ante iudicis sententiam.
10. Presumptio alia periculi, alia facti.
11. Etiam si presumpcio juris in particulari casu fallat, non obest legi.
12. Demonstratur exemplis.
13. Leges in presumptione facti fundatae non obligant, si fallat presumpcio.
14. Corollaria.

§. I.

Prænotanda.

1. Notandum primò. Intuitu boni publici posse per humanam legem adimi liberam potestatem ad faciendum aliquem actum; ita ut talis actus pro invalido habeatur: libertas quippe sive potestas homini competens ad quosdam actus iure naturæ non imperatos, sed duntaxat permisos, lege humana limitari, vel adimi potest, prout communi bono expediens visum fuerit, veluti contingit in impedimentis matrimonii, & contractu pupilli, ubi pupillus ad contrahendum, & certæ personæ inhabiles redduntur ad matrimonium; & ejusmodi lex vocatur irritatoria.
2. Notandum secundò. Actum à lege dupliciter irritari posse: primò, ut lex decernat actum à iudice irritandum, quod fit, cum verba irritatoria ponuntur in futuro, vel imperativo: e. g. *rescindatur, infirmetur* &c. cujus exemplum habetur in l. 2. & 5. C. de *rescind. vend.* & hoc casu effectus ex ejusmodi actu consequentes solum causantur à die datæ sententiæ. Secundò, ut lex per semetipsam actum irriter, prout fit à Tridentino, cum matrimonium sine paroco & testibus clam contractum declarat nullum; cum Religiosa professio facta ante expletum probationis annum declaratur nulla: quæ irritatio colligitur ex verbis de præsentibus, quibus actus non tantum prohibetur, sed etiam irritatur, v. g. *actus sit ipso jure nullus, ipso facto irritus*, &c. nuda quippe prohibitio actum solummodo reddit illicitum, non etiam invalidum, per c. ad *Apostolicam de Regular.* Ubi Innocentius III. dicit: *Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obinent firmitatem.*
3. Notandum tertio. Actum à lege aliquando tantum civiliter, aliquando etiam naturaliter irritari. Civiliter tantum irritatur, quando tollitur omnis obligatio & actio, quæ ex illo actu oriri posset in foro externo, acsi actus foret naturaliter nullus: quantumvis in foro conscientiæ nihilominus remaneat validitas, & obligatio naturalis cum effectibus, ex ejusmodi actu, vel contractu oriundis: quo modo in jure invalidatur lusus alearum, & in multorum sententia testamen-

R. P. Mezg. Schol. Tom. II.

tum carens debitis solemnitatibus. Naturaliter etiam invalidatur actus, quando ipsius valor ita per legem destruitur, ut neque in foro conscientiæ aliquam obligationem & effectum possit parere, velut est irritatio matrimonii cum impedito dirimente contractu, professionis emissæ ante completum 16. ætatis annum, &c.

Notandum quartò. Non eo ipso, quòd lex actum aliquem prohibeat & reddat illicitum, eundem etiam irritare & invalidum reddere; sed hoc esse specialiter exprimendum per clausulam irritantem: nam rationes illiciti & invalidi sunt à se mutuo separabiles; unde in c. ad *Apostolicam de Regularibus*, dicitur: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* Sicut matrimonium cum simplici voto castitatis contractum licet sit illicitum, est tamen validum.

Nec obstat in contrarium l. non dubium. C. de leg. & Constitut. Principum. *Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur* &c. Ex l. 6. C. de pactis. *Pacta, quæ contra leges constitutionesq. vel contra bonos mores sunt, nullam vim habere, indubitanter juris est.* Nam Respondeo, plus ex his non inferri aut significari, quàm actus contra legem factos esse annullandos per iudicis sententiam, juxta c. *vides. dist. 10. ibi: Quicquid contra legem accipitur, per legem dissolvitur.* Item, ejusmodi actus dicuntur *infecti*, in quantum post declaratoriam iudicis sententiam habendi sunt pro nullis non tantum à tempore latæ sententiæ, sed etiam criminis vel transgressionis commissæ, ut tradunt Molina to. 1. de just. tract. 2. disp. 82. Salas disp. 16. sect. 8. Suar. l. 5. c. 28. n. 7.

Notandum quintò. Inter leges irritantes aliam esse pœnalem, aliam verò purè irritativam. Pœnalis est, quando irritatio statuitur in odium transgressoris, quemadmodum lex irritans matrimonium ob uxoricidium, vel adulterium cum promissione futuri conjugii, & collationem beneficii ob simoniam commissam: Alia est purè irritativa, quæ non necessario supponit actum malum, sed potius intendit favorem boni communis, aut privati: ut quando irritatur testamentum factum sine certa solemnitate, professio emissæ ante completos 16. annos, contractus pupillorum &c. Quibus positus sit

§. II.

Resolutio de lege irritante.

CONCLUSIO PRIMA. *Lex purè irritatoria non obligat in conscientia ad omissionem actus invalidati, nisi cum vel a legislatore expresse intenditur, vel suppositi à ejusmodi irritatione, actus specialem induit rursus inordinem.* Ita Suar. l. 5. c. 20. Aug. à V. M. disp. 4. q. 4.

Ratio primi est: quia legislator generalem & naturalem obligationem ad sibi præcipienti parendum potest determinare vel ad actus omissionem, vel ad irritationem, vel ad alterutrum disjunctivè, prout in simili dictum est de lege pœnali: nisi igitur de ipsius intentione expresse constet, præsumitur id, quod est minus & favorabilius, nempe quòd solum voluerit irritare actum, non etiam facere illicitum: cum esse illicitum &

Rr 2

invali-

invalidum sint rationes ab invicem mutuo separabiles.

Secunda pars patet in contrahente matrimonio cum impedimento dirimente: ubi in contractu per legem invalidato specialis resultat deformitas, quod nempe materia incapax subternatur formæ sacramentali, & subeat proximum periculum fornicationis. Ita docent Suar. l. 5. c. 20. & August. à V. M. d. 4. q. 4.

7. **CONCLUSIO SECUNDA.** *Omnis lex irritatoria in eo genere, in quo irritat, obligat subditum in conscientia, ne querat fructus vel effectus ex tali actu, quos aliquin haberet, si legis irritatio non obssisteret.* Ita Aucthores citati.

Ratio est. Quà ratione lex irritans actum invalidat, eadem obligat, ne quis utatur illo actu tanquam valido: sed qui querit, & percipit fructus ex illo actu ut valido sequi solitos, ille utitur actu tanquam valido: ergo lex irritans actum in eo genere & ratione, quâ irritat, obligat, ne quis ex illo actu fructus, vel effectus querat, qui alias ex ipso provenirent, si in suo valore persisteret. Unde vel actus irritatur à lege dependenter à sententia Judicis; & tunc potest quis ante sententiam judicis fructus ex illo actu tanquam valido percipere: obligabitur tamen in conscientia, partim ut post latam sententiam à fructibus ex illo actu percipiendis absteat; partim ne alium, cujus interest, ab actione civili & processu ad irrationem impediatur. Vel secundò lex est ipso facto irritans, & tunc vel tantum civiliter, vel tantum naturaliter. Si tantum civiliter, & in foro externo, erit tantum obligatio conscientia, ne quis media civilia & in foro externo apponat, ad fructum ex tali actu percipiendum: deinde ne impediatur illum, cujus interest, à civili actione, effectum ex actu civiliter irritato consequentium, impeditivâ: cum enim civilis irritatio auferat potestatem civilem, pariter vetat media civilia ad sustinendum valorem actus. Si verò lex est simpliciter, adeoque & naturaliter irritans, tunc obligaberis in conscientia abstinere ab omnibus mediis tam naturalibus, quam civilibus ad tales fructus percipiendos, hoc ipso quod per illam irrationem auferatur omnis potestas tam civilis, quam naturalis ad sustinendum valorem illius actus.

8. **CONCLUSIO TERTIA.** *Quando irritatio legis est pœnalis, supponens alicujus actus substantiam, tunc actum non facit irritum, sed irritandum per Judicis sententiam, (2) nisi cum actus sit incapax irrationis per Judicis sententiam, quo casu statim ac ponitur, redditur invalidus.* Ita Suar. l. 5. c. 32. Sanch. de matrim. l. 3. disp. 4. n. 9. Palaus tr. 3. disp. 2. punct. 10. & 19. Salmantic. hic c. 2. punct. 5. n. 101. 102.

Ratio primi est: quia irritatio pœnalis sequitur conditiones legis pœnalis: sed ista ordinariè, nisi aliud expresse statuat, non obligat nisi post Judicis sententiam: ergo & ista irritatio pœnalis. Unde si lex aliqua irritet contractum venditionis mercinum aliquarum, de quibus gabella non fuerit soluta, manebit contractus in suo robore, donec à judice rescindatur; quia pœna hujus legis propriè intendit jus questum tollere.

Ratio secundi est: quia irritatio legis, quan-

tumvis sit pœnalis, debet habere effectum, vel cum ipse actus ponitur, vel post ipsius positionem per sententiam Judicis: atqui hoc secundo modo habere non potest, ut supponitur, ergo in ipsa positione actus reddi ipsum invalidum: atque ita contingit in matrimonio contratto ab uxoricida, vel adultero cum promissione matrimonii futuri.

CONCLUSIO QUARTA. *Lex pure irritatoria, ubi irritatio vel antecedit, vel comitatur actum, statim sortitur effectum, & actum redditur validum absque sententia Judicis, ut in testamento absque debita solemnitate, matrimonio clandestino, professione ante 16. annum ætatis, &c. tunc enim lex prescribit formam actui, quâ non servatâ ipso jure sit nullus.* Ita Salmantic. loc. cit.

§. III.

Resolutio de lege in præsumptione fundata.

NON ex dictis, Præsumptionem, in qua lex fundatur, aliam dici præsumptionem juris, vel periculi, aliam dici præsumptionem facti. Illa est, quæ non fundatur in aliquibus indicis, sed in judicio moraliter certo, quod ex tali actu vel contractu non quidem in omni particulari casu, sed tamen regulariter & ut plurimum frans, vel damnum eventat, ideoque per illum non præsumitur aliquod factum, sed periculum fraudis, vel damni. Præsumptio facti, & propriè talis, est, quæ fundatur in judicio ex certis indicis dependentibus, factum hoc & hoc modo se habere. Unde & lex in tali præsumptione fundata est conditionata, si videlicet factum ita se habeat, sicut à legislatore, vel præcipiente [nam quæ de lege hic dicuntur, eadem de præcepto velim intelligi] judicatur. Quo posito sit

CONCLUSIO QUINTA. *Lex fundata in præsumptione juris habet suum effectum, etiam si falsificetur præsumpta frans, vel damnum in aliquo casu particulari.*

Ratio est: quia cum finis & motivum principale legislatoris subsistat, manet legis obligatio: sed etiam si præsumptio falsificetur in uno alterove particulari casu, adhuc tamen motivum principale legislatoris subsistit: nempe bonum Reipubl., periculum moraliter certum, & evitatum incommoedorum, scandalorum &c. quæ ut plurimum evenire solent: ergo manet legis obligatio. Ideo lex irritans votum solenne ante annos pœbertatis emissum, fundata in præsumptione, quod ante illam ætatem desit judicii requisita maturitas, ideoque gravia scandala orientur, etiam in illo locum habet, cui sufficiens judicium non deficit: præsumptio quippe legis non est de judicii defectu in singulis, sed in plerisque; & de scandalis quæ exinde orientur.

Confirmatur exemplis: Lex Tridentini, quæ irritantur matrimonia clandestina, innititur præsumptioni fallaciarum, quæ ejusmodi matrimoniis misceri solent; nec ideo amittit robur, quantumvis in casu particulari nulla intercedat fallacia. Lex irritans professionem ante complectum 16., & matrimonialem contractum ex parte maris ante 14. annum, & ex parte femine ante 12. ætatis annum, præsumit defectum sufficientis judicii & præ-

& prudentiæ ante illum annum ætatis, nec tamen suo frustratur effectu, si in casu particulari oppositum inveniat. Lex irritans testamenta sine substantiali solemnitate facta, tenet, tamen in casu aliquo abstitit fraudem quam præsumit: & lex irritans contractus pupillares absque autoritate tutorum initos, retinet suum vigorem, tamen in aliquo casu nullum pupillo damnus imminet, in cuius præsumptione illa fundatur.

13. **CONCLUSIO SEXTA.** *Leges & præcepta in præsumptione facti fundata non obligant in conscientia, quando fallit præsumptio.* Ita Suar. l. 3. c. 23. Sorus de Just. l. 1. q. 6. a. 4. Palus tract. 3. disp. 1. punct. 14. cum communi.

Ratio est primò: Præsumptio legis vel ideo est falsa, quia lex præsumit aliquem actum esse licitum, qui tamen jure naturali, vel divino est illicitus; vel quia lex præcipit aliquem actum licitum, sed tamen propter præsumptum aliquod factum, quod à parte rei non invenitur. Si primo modo præsumptio est falsa, per se clarum est, quòd tunc lex humana vigorem legis amittat, cum nulla possit dari obligatio ad peccandum, legisque Divinæ & naturalis vinculum longè fortius stringat, quàm ullius legis humanæ. Et patet ex c. *inquisitioni, de sent. excomm.* ubi præcipitur, quòd si quis sciens se invalidè contraxisse matrimonium, per sententiam judicis sub poena excommunicationis cogatur ad cohabitandum, & utendum matrimonio, debeat potius sententiam excommunicationis humiliter sustinere,

quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. Si secundo modo, rursus nulla est legis obligatio, hæc quippe non intendit obligare, quando fallit præsumptio, eò quòd recta ratio dicit, veritatem falsæ præsumptioni debere præferri, c. *veritatem, dist. 8.* ideoque in foro externo admittitur probatio contra præsumptionem.

Ratio est secundò. Deficiente motivo & intentione obligandi, nulla est legis obligatio: sed si præsumptio facti est falsa, deficit motivum & intentio obligandi: ergo tunc nulla est legis obligatio. Minor probatur. In lege conditionata, deficiente conditione etiam deficit legis motivum, & intentio obligandi; sed lex in facti præsumptione fundata, est saltem tacite conditionata, si nimirum veritas facti ita se habeat, sicut præsumitur; ergo fallente hæc conditione deficit legis motivum & intentio obligandi.

Ex quibus deduces primò: Illum, qui per juramentum sententiam condemnatur solvere pecunias alteri, qui per falsos testes probavit, ipsum esse debitorem, non teneri solvere; & si cogatur, posse uti occultâ compensatione, si sciat, se non esse debitorem. Secundò. Illum, qui scit se alterius bona malâ fide, & sine legitimo titulo possidere, non posse illa titulo præscriptionis retinere, si altera pars in probanda malâ fide deficiat, quia lex præscriptionis præsumit bonam fidem, & legitimum titulum possidentis. Ita Salmantic. loc. cit. cum DD. à se citatis.

ARTICULUS IV.

Quanta sit legis humanæ obligatio?

SUMMARIUM.

1. Potest lex humana inducere obligationem sub mortali.
2. Transgressio legis ex contemptu est peccatum mortale.
3. Ideo proponens committere omnia venialia peccaret mortaliter.
4. Obligatio colligenda ex verbis legis.
5. Gravitatis obligationis bene colligitur ex gravitate poenæ adjectæ.
6. Non potest dari gravis obligatio in materia levi.
7. Ad erudendam gravem obligationem consideranda est gravitas materia.
8. Unde attendenda gravitas, vel levitas materiae.
9. Sententia negantis dari levem obligationem in gravi materia primum & secundum fundamentum discutitur.
10. Responso contraria partis examinatur.
11. Alia & vera responso.
12. Tertia ratio à paritate levis materiae petita dissolvitur.
13. 14. 15. Sententia affirmantis rationes ponderantur.
16. Resolutio pro parte affirmante cum distinctione.
17. Disparitas inter gravem & levem materiam.
18. Si exprimeretur gravis obligatio in materia manifestè levi, foret levis obligatio.
19. Lex humana per se ordinariè non obligat cum vitæ discrimine.
20. Subinde tamen per accidens;
21. Et aliquando per se.

§. I.

Gravitatis obligationis ex gravitate materiae.

Quod lex humana possit inducere obligationem sub mortali, jam ex præmissis constare potest; idque probat primò autoritas S. Script. ubi præceptum de abstinendo à suffocatis Act. 15. vocatur *necessarium*. Matth. 15. dicitur: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnici & publicanus.* Rom. 13. *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ratio sæpius indicata est, quòd obligatio manans ex lege æterna DEI & naturali potest esse gravis & sub mortali, si materiae gravitas patiat: sed efficacia obligandi in lege humana dimanat ex lege æterna DEI, & naturali, quâ jubemur obedire potestatibus superioribus: ergo.

Certum est ex S. D. 2. 2. q. 105. a. 1. & 186. 2. a. 9. & comm. DD. Toties committi mortale peccatum, quoties fit transgressio legis ex perfecto & formali contemptu illius, quamvis fiat in materia levi. Ratio est: quia per verum ac formalem contemptum læditur graviter charitas, & gravis infertur injuria legislatori, Cæterum formalis & perfectus contemptus legis non cen-

Rr 3 setur